CLIO
PLAVDENS ET EXVLTANS

In Sereniſſimi Principis Venetiarum

ANTONII DE PRIVLIS
ELECTIONEM

Ode

D. AVGVSTINI LAMPVGNANI
Monachi Caſinenſis.

Dicata Perilluſtri ac Reu. D.D. PAVLO CONTAINO
Ferrarienſis Eccleſiæ Canonico.

SVPERIORVM PERMISSV.



VENETIIS, M. DC. XVIII.

Apud Antonium Pinellum, Impreſſorem Ducalem.

CLIO
PLAVDENS ET EXVLTANS
In Sereniſſimi Principis Venetiarum
ANTONII DE PRIVLIS
ELECTIONEM
Ode
D. AVGVSTINI LAMPVGNANI
Monachi Caſſinenſis.

Dicata Perilluſtri ac Reu. P. D. PAVLO CONTARENO
Ferrarienſis Eccleſiæ Canonico.

SVPERIORVM PERMISSV.



VENETIIS, M.DC.XVIII.
Apud Antonium Pinellum, Typographum Ducalem.

ADMODVM ILLVSTRI
Ac Reuerendo D.
D. PAVLO CONTAINO
FERRARIENSIS ECCLESIÆ
CANONICO.

M. Antonius Broiolus. S. P. D.

ADVENTABAT Saluatoris noſtri Natalis dies, & tua in me collata beneficia, tuamque dignitatem mecum ipſe animo voluebam. Tunc meæ erga te ſignificandæ reuerẽtiæ ſignum aliquod exhibendi deſiderio auere cœpi. Sed hæc mecum. Quid reddam, cui tantum debeo, & quid tot meritis pleniſſimus eſt? Hinc fere deſperabam, cum mihi in mentem venit, quanti te tota Sereniſſimi Venetorum Principis familia faciat, & quam illi ob inſignes animi tui dotes carus, additiſſimuſque ſis. In cuius electionem, cum hæc Ode ſcripta circumferretur, & a ſummis viris ſummopere laudari audierim; ſtatim nacta occaſione Auctorem ipſum conſului, eamque efflagitaui. Nihil ille huiuſce rei ſuſpicabatur, conceſſit tamen non inuitus, ſed verecundus: quin, & in Illuſtriſſimum Cardinalem Priolum aliam addidit.

Vtramque typis conſignaudam volui. Tum vt in hac, qua poſſum parte Sereniſſimo meo Principi, eius non reticendo laudes congaudeam; tum vt humaniorum litterarum ſtudioſis his qualiſcumque ſit Auctoris labor non iniucundus exiſtat. Tandem qua ego illas in lucem prodire iubeo, tui nominis tutela, ac ſplendore ornandas volui. Tui, inquam, qui bonarum artium amator ab ineunte ætate fuiſti, tui, inquam, quem ſemper in oculis fero. Sat iſta. Vt tui moris fuit me benignius intueri, idem ſis. Vale, vir optime, vir doctiſſime.

Venetijs.

IN ELECTIONEM
Sereniſſimi Ducis Venetiarum
ANTONII DE PRIVLIS.
Ode
D. Auguſtini Lampugnani Monachi Caſinenſis.

TAndem virenti labere vertice,
Pindique colles deſere percita,
O Muſa, quæ ſacros potens es
Tradere Apollineos liquores.
Tum concitatis ingenij mei
Concede pennis, Theſpiadum, vt queam,
Securus audaci labore
Fatidicas penetrare ſedes.
Inſigne cogor tollere plauſibus
Caput recinctum Principis incliti,
Et quas retardabant coronas,
Tempora nunc meritò potitur.
Totum per orbem fama loquax vola,
Et qua aureus ſol præcipitans ruit,
Et qua nouus ſurgit coruſcus,
Lumine diſcutiens tenebras.
Effunde dulces lætitiæ ſonos,
Extende velox vndique gaudia,
Et nomen Antoni audiatur
Laudibus aſtra ſuper referri.
Cedat labori villicus impiger,
Et nauta portu carbaſa deſeret,
Ciueſque rixis abdicatis,
Lætitiam celebrent frequentes.

Curæ

Curæ recedant longius anxiæ,
Mixtuſque Muſis, at Charitum chorus
Accurrat, & ſertis opimis
Tempora digna Ducis perornent.
Dein iuncta lætis carminibus lira
Percuſſa melos dulciter effluat,
Clioque plaudens Principem iſtis
Vocibus eximium ſalutet.
Te Virtus ad ſummum optima tranſtulit
Culmen, tibi primos eadem dedit,
Vt aſsequaris ritè honores,
Fiſque perenne decus tuorum.
Viuas diu Princeps, patriæ inclitæ
Inſigne lumen, veraque gloria,
Quem tota iam magno Vrbs amore
Principem habere ſuum flagrabat.
Te plebs parentem clamitat en ſuum,
Te dulce pauper præſidium vocat,
Diueſque ſecura potiri,
Te Moderante, quiete ſperat.
Perge ergo preſsos fortiter adiuua,
Necnon ſuperbos acrior opprime,
Et inſolentes, lege, motus,
Imperijſque tuis coerce.
Abundet hornæ copia frugis, &
Adſint lyſi munera liberi,
Vilique vendatur, quod ante
Iam nimio precio dabatur.
Periculoſas dirime ciuium
Rixas, & horum dura negotia
Haud ipſe tardes expedire,
Hoc populo pariet ſalutem.

Demum

Demum eſto ſupra cœte ra prouidus,
Quis hoſtis oras occupet Italas,
Salum quis intret, quis, minaci,
Prælia, Marte, mouere tentat.
Quid Turca, vel quid monſtra Tripectora,
Quid exteri, quid denique Teutones
Admoliuntur, contuere,
Quaſque parant reſeca ruinas.
Sic ſtabis æterno Vrbs Venetum pede,
Nulloque fies hoſte domabilis,
Sed ſede firma non pauebis
Vincere barbaricos tumultus.
Vigeſque ſemper viribus optimis,
Et Iura creſcent, haud gelidus Syta,
Haud Indus, haud crudelis Afer
Illa parum poterunt nigrare.
At Clio poſtquam talia deſtitit
Fari, repente en intonuit nemus
Hinc inde cantus audiuntur,
Et Charites renouant choreas.
Sat iſta; tandem carmine luſimus,
Sat cum Camœnis ſtridula barbitos
Morata luſit, Magne Princeps
Hæc cape fronte, rogo, ſerena.

In

In Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D.D.

MATTHÆVM PRIOLVM

SERENISS. ANTONII PRIOLI Venetorum Ducis filium,

ET S. R. E. CARDINALEM AMPLISSIMVM.

Ode

D. Auguſtini Lampugnani Monachi Caſinenſis.

QVi laudare ſciunt prælia, bellaque,
Et cantare viros factaque fortia,
Deſpectis fidibus turpe ſilentibus,
Nunc edant modulos lyra.
Te, Matthee, canant, inclita Principum
Heroum ſoboles, Principe te ſatum
Conclament, Venetum gens cui ſubiacet
Et vaſtus ſinus Adriæ.
Te Matthæe canat Pieridum chorus,
Qui virtute micas, qui ſapientiæ
Exerces ſtudium, & tramite nobili
Qui famam tibi comparas.
Hinc pergis meritò murice fulgidus,
Atque inter Procerum Romulidum Duces
Phœbi inſtar radiat laus tua Delij,
Terrarum vndique ſplendida.
Hinc ſplendore tuo it Roma ſuperbiens,
Inſigniſque tuis Patria honoribus
Plaudet perpetuo. Virtus enim optima
Nigri eſt neſcia funeris.